DORIS MEDITERRANEA

DVM SERENISSIMA VIRGO

MARGARITA ALOYSIA BORBONIA

SERENISSIMO COSMO

MAGNO PRINCIPI HETRVRIÆ NVPTA

MARI IN HETRVRIAM VEHITVR,

Omni ſuarum Nereidum Pompà Claſſem proſequente, ipſa in Regià Centauro vaticinatur.

Authore Petro Adriano Vanden Broecke Belgà,
Publico Eloquentiæ Profeſſore Piſis.

SERENISSIMO LEOPOLDO PRINCIPI AB HETRVRIA DICATA.

LVCÆ, Ex Typographia Franciſci Mariſcandalj. M.DC.LXI.

De Superiorum licentia.

DORIS MEDITERRANEA

DVM SERENISSIMA VIRGO

MARGARITA ALOYSIA BORBONIA

SERENISSIMO COSMO

MAGNO PRINCIPI HETRVRIAE NVPTA
MARE IN HETRVRIAM VEHITVR,

Omnium fauorum Nereidum Pompa Classem prosequente, ipsa in Regia Centauro vehicolatur.

Auctore Petro Adriano Vanden Broecke Belga,
Publico Eloquentiae Professore Pisis

SERENISSIMO LEOPOLDO PRINCIPI AB HETRVRIA DICATA.

LVCAE, Ex Typographia Francisci Marescandolij M.DC.LXI.

De Superiorum licentia.

SERENISSIMO

LEOPOLDO

PRINCIPI AB HETRVRIA

S. P. D.

HOS quoque SERENISS: LEOPOLDE conatus aſpice, conatus, inquam, quia res difficillima fuit tàm auguſto Argumento, quale BORBONIA, ET THYRRENA Domus eſt, digna canere. Sed tibi prodigioſæ humanitatis Principi, etſi res ipſa deſit, ſolet tamen conantis animi labor placere. Immo à tuo Mari Thyrreno (vt videas quoque me nil niſi tua afferre) Nuptialis Poematij argumenta duxi; nam ibi SERENISSIMÆ VALESIÆ aduentus ab omnibus Oceani Nymphis celebratur, Suoque vaticinio Do-

ris aliqua THYRRENÆ DOMVI elogia pangit. Hæc ſi in communi Hetruriæ, totiuſque Italiæ lætitiâ vtcumque CELSITVDINI TVÆ placuère, videbor mihi omnia vota expleuiſſe, ſique me

Thuſcis ipſe tuis Vatibus inſeres
Sublimi feriam Sidera vertice

Neque D. O. M. pro longâ CELSITVDINIS TVÆ incolumitate totius Auguſtæ DOMVS THYRRENÆ incremento, Nouâque è tantis Nuptijs AVGVSTA PROGENIE deſinam.

SERENISS: CELSITVDINI TVÆ.

Humillimus, deuinctiſſimuſque Seruus

Petrus Adrianus Vanden Broecke Belga, & Ciuis Piſanus.

DORIS MEDITERRANEA.

Postquam læta quies, & pax est aurea toti
Cantata Europæ, Sacroque in prælia cantu,
Excidiumque Asiæ Romana accendimus Arma.
Hic ego Pegasides magni connubia COSMI
Hetruscis optata suis, optataque multis
Italiæ votis, Tædasque, & Virginis altos
VALESIÆ Thalamos dicam, si nunc quoque vati
Annuitis, paulùm si fas Helicona relinqui,
Si Cyrrha, si Mnemosines abscedere luco,
Nec piguit Thuscis pelagus sulcare carinis.
Fors Venus, Oceanusque Pater, grandæuaque Tethys,
Oceanique Nurus, & iuxtà Nerea Doris,
Iam pelagi Vates, iuxtaque Palæmona Glaucus,
Iamque alij Diui, iam Stirps Saturnia ponti
Sub miris Tectis, miræ penetralibus Aulæ
Annua Dictęo memores conuiuia Regi
Ducebant Cæli quondam monumenta recepti,
Dum gemino Solus successit Iupiter Axi.
Stant epulæ mensis, stratoque accumbitur ostro.
Ipsa Hiale canit ingenti Poeana Tonanti,
Enceladi funus, deiectos fulmine fratres
Seruatosque Deos, & magni Limen Olimpi.
Tum molles curas, tum densos addit amores
Cælicolum, falso seu qui Deus ardet in auro,

Seu mugit pratis Europæ saucius igni;
Aut in Amycleas formà candente paludes
Labitur, aut niueis Ledam circumuolat alis.
Tum Lyparen Fabrique dolos, & Lemnia vincla
Vincla maritoties, totiesque irrisa sub Astris.
Postquam blanda fames, omnisque extincta cupido
Vescendi, pictique thori, mensaque remotæ,
In virides Pelagi lucos, siluasque sonantes
Omnis abit chorus, & nemora immortalia visunt,
Secretasque Domos, quas soli credidit olim
Oceano Pater, & dedit hac recludere tecta.
Hic Saxo latices, immanique obice clausos
Mirantur Natæ, queis olim à fonte reclusis
Continuo super oppositis maria omnia claustris
Vndarunt, Tellusque omnis stetit obruta ponto,
Aonio Pyrrhæ vix saluà in monte Carinà.
Aspiciuntque alijs, alijsque ambagibus Amnes
Diduci Oceano omnes; perque volumina cæca,
Humentesque vias terrarum in viscera niti,
Donec quisque suis erumpat montibus ortu.
Hic prima apparet secreti fontis origo,
Quà latè erumpunt septemplicis ostia Nili;
Quà Rhodani primi latices, primique Garumnæ
Præcipites, quà mitis Arar tùm lenibus vndis
Emanat labens; quà Sequana Regius exit,
Regum qui Gallos amplectitur amne Penates:
Vnde via vndisoni Rheni, liquidique meatus
Dannubij fuluàque sonans ruit Indus arenà.
Quà Patri Eridano, quà sunt primordia Tybri;
Quàque Arno, quo non alium magis Æthere ab alto
Phœbus amat, Musæque magis coluère libentes.
Talia lustrabant totis miracula Siluis.

Cum celer à Thuscà Tubicen Neptunius vndà
Se tulit in medios tali cum voce recessus,
His nunc Nereides, tuque ò Amathusia Cypri

In-

Indulges Latebris? nec Vincla iugalia curæ
Sunt tibi? non magni Thalami, Thuſcique Hymenæi?
Non amor Auguſtus, non vota ingentia, non quæ
Regia BORBONIO promiſſa à Sanguine VIRGO?
At Paphij Infantes Stirps imperioſa Deorum
Iam volitant toto plaudentibus æquore pennis.
Iam magno à Rhedano, Gallique à littore ponti
It Claſſis Thyrrena mari, iam Regia Nupta
Centauro inuehitur Thuſcâ, iam mille carinæ
Auguſtam latè Puppim comitantur euntem;
Impellitque rates ventis felicibus aura.
Dulci lætitiæ ſtrepitu, dulcique tumultu
Æquoreis longè ripis caua ſaxa reſultant.
Idalij paſſim ſua quique in munia fratres
Diuiſi tendunt. Alij regalibus hærent
Impliciti antemnis, librantque inſignia plumis
Corpora præcipites; aliique à vertice mali
Excubias pelagi ſimulant, ſummoſque rudentes
Vnà omnes alacri gaudent diſtendere niſu;
Incumbunt alij tranſtris; Illi aurea proræ
Roſtra regunt, aliique habiles felicibus Euris
Carbaſa tota ſinunt; puppique Hymenæus ab altâ
Proſpicit, & curſus Thyrrena ad littora tendit.
Auditiſne Dea? quanto clangore tubarum
Exſonuit pelagus? vox hùc illapſa remugit,
Et ſacræ in luco mouere cacumina quercus.
His incenſæ animis Natæ Oceanitides omnes
Certatim à toto gaudent diſcedere luco.
Primaque Carpathijs longè ſuper æquora conchis
Emicuit Venus æquoreo pulcherrima vultu;
Cęruleaque omnes pelago Nereides alto
Apparent, vectæ bigis ſpumantibus omnes,
Omnes auratis prægrandia piſcibus ora
Frænantes vinclis per ſumma vehuntur aquarum.
Cymothoe Thyrrena, Lygeaque, Glanconomeque,

Pu-

Puniceis Melite, flauiſque Arethuſa capillis.
Tum Dea Parthenope nunc dulci innoxia cantu,
Nunc placida, & nullis magis exitioſa carinis;
Tum Clymene, tum Neſæe. tum glauca Theano,
Eunomieque altis aſſueta in fluctibus olim
Vndiuagas omnes nando exſuperare Sorores;
Atque Hiale, atque Ephyre, atque ſuis educta latebris
Pulchra Thetis, magno Spes formidata Tonanti,
Æacidæ thalamis, & partu inſignis Achillei.
Tùmque Sale Hetruſco nantum diuiſa Deorum
Agmina frænatis lucent per Cęrula monſtris.
Rex etiam pelagi fauſtos gratatus amores
Magnanimæ Nuptæ ter circum regia roſtra
Ceruleum flexit, lymphis rorantibus Axem.
At Venus Idalia, & coniux Nereia Doris
Natarum ſublata humeris è curribus ambæ
Memnoniâ tectis gemmâ, viridique Smaragdo
Exſcendunt alacres Auguſtæ in limina puppis.
Continuoque alij cantus, alijque Dearum
Nereidum plauſus iam Doride, iamque Dione
Centauro acceptâ. Paphij fulgentibus alis
Exiliunt Nati, quà quiſque in ſedibus hæret,
Gratantes plauſu Matrique, Deæque receptæ.
Subtus flexilibus conchis, lituiſque canoris
Tritones placido demulcent æquora cantu.
Neu Claſſem ſcopuli, neu ſaxa latentia fluctu
Infeſtent; premit alta Deas ea cura natantes.
Ipſa Cypris ventura comes terraque, marique
Ad Thalamos tantos Puppim cęleſtibus implet
Ambroſiæ guttis; circâ fragrantibus auris
Diffundit nubes. tùm caſtæ Heroidis ignes
Iam magis, atque magis THYRRENI accendit amore
Coniugis; atque Suos NVPTÆ Venus afflet honores,
Ni ſimiles habeat, ni lumina pulchra Iuuentæ
Idalio niteant longè formoſius Aſtro.

Tum

Tum magna Oceani Vates Nereia Doris,
Cui fas Heroum ventura euoluere Fata,
His placidè dictis felicibus ora resoluit.
Salue Progenies felix, Salue, inclyta Virgo,
Tu decus Europę, atque altis Regibus orta,
Et Reges genitura altos, tu Numine grandi,
Auspicioque venis Thyrrena capessere regna;
Sic triplices memini quondam neuisse Sorores,
Taliaque haud vano cecinisse oracula cantu.
Quà tu cumque fluis Thyrrena ad littora, Dori,
Lęta flue, & Lybicas his fluctibus obrue naues;
Sitque Domus THYRRENA tibi tua maxima cura:
Nam Gens hęc fatis, Diuisque electa Secundis
Imperia ad magna; & magnas accitur habenas:
Tu spumare Afrum Thyrrenis classibus equor,
Tu pelago raptas Asię Lybięque superbas
Vectari prędas, captiuaque corpora Thracum
Aspicies tonsis, pelagique laboribus apta
Seruari vinclis, & segnia corpora vendi.
Barbara quanta cadent Hetrusco victa Gradiuo
Oppida! nunc nobis Thyrrena incendia Dori
Nunc Galla illucent, queis olim Graia Canopus
Ardeat, & totus septeno in gurgite Nilus,
Totaque cum victo dedatur Anubide Tellus,
Dedatur quodcumque Asię rapuère Tyranni:
Stamina sic Gallis, sic Thuscis voluimus ęqua.
A *Quin etiam fato sub dias Luminis auras*
Augustę venient Thyrrenà à Stirpe Puellę
Ambę animis altis, altęque Heroides ambę,
Quas quondam genitas alijs, alijsque sub annis
Optabunt Galli magna ad Connubia Reges.
Has pelago accipies Dori, incolumesque per altum
Sistes Massilię ripis; vbi Regius Heros
(Nam sua cuique dies perfectis solibus ibit)
Thyrrenę Nuptę magnis dabit aurea gemmis

A Catharina Henrico Secũdo, Maria Henrico Quarto Galliarum Regibus Christianissimis Nuptæ.

Sceptra

Sceptra tenere manu, & Populis dare iura vocatis.
Hęc ea Progenies, à quà, ceu fonte perenni,
Magnorum Heroum, magnarumquè inclyta matrum
Descendet Series, quę Regum Sanguine creta
Non nisi magnanimosque Duces, Regesque datura
Est toti Europę, queis sit nil maius in Armis.
[B] *Norica Garmatię Tellus, Tanaisque Niuali*
Indomitus lapsu Thyrrena Stirpe creatos
Accipiet Rhodani Reges: quin ęquore toto
[C] *Hàc etiam natos diuisa Britannia Reges*
[D] *Accipiet; natos hàc magna Hispania Reges.*
Sint longę ambages, si fata hic omnia Dori
Persequar. ast vna est Augusti filia Regni
Borbonis, & Magno Thyrrenum à Sanguine ducta
Augusto COSMO Thalamis, tędique iuganda
Hanc Dea, cęrulei cui se placidissima Ponti
Subternit latè facies, Hanc omnibus vndis,
Omnibus obsequijs pelagi, densisque tuarum
Nereidum choreis olim accepisse memento.
Hęc illa est magnis promissa ALOYSIA Fatis:
Da manibus plenis tu prima Hetruria NATÆ
Lilia. tu Flores, tu tantam Heroida Regnis
Infer lęta tuis super altę męnia Florę.
Tunc magis Hetruscis fęlicibus ocia rebus
Augescent, tunc alma quies, tunc prisca redibit
Quę melior fluxit priscis mortalibus ętas.
Hactenus vnanimi nutu, vnanimique labore
Stamina ducta semel veris euentibus implent
Fatidicę Parcę. Sed tu Valesia Virgo,
Seu Thalami monumenta tui, seu pignus amoris
Mauis esse mei; quas toto legimus Indo
Has centum ingenti Smaragdos fulgore micantes
Lęta tene, totidemque nouo sub Gurgite Ponti
Inuentas alijs radijs, alijsque nitentes
Prodigijs Gemmas. Simul hoc memorabile Textum

Regia

B Henricus III. Gallię, & Polonię Rex Christianissimus.

C Carolus II. Anglię, Scotię, & Hibernię Rex.

D Balthasar Philipp. Regię memorię Philippi IIII. Catholici Regis Filius Infans Hispaniarū.